



Z. n. 18.

320
20



18. iij.



בלע המות לחיים

I. E.

SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI
VICTORIOSAM
MORTIS ABOLITIONEM

ESAIÆ XXV, 8. ET I. COR. XV, 54.

DESCRIPTAM
EXPENDENS

FESTUM
PASCHATOS

PIE SANCTEQUE CELEBRANDUM

INDICIT

ET AD

ORATIONEM SACRAM

IN TEMPLO

ILLUSTRIS AUGUSTEI

IPSA PRIMA SOLENNISSIMA FESTI FERIA
POST HORAM XII.

AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINI-
STROS UTRIVSQUE REIPUBL. PROCERES ET LITERA-
RUM CULTORES ET FAUTORES ET CIVES
ILL. AUGUSTEI

PRÆSTANTISSIMOS

OBSERVANTER ET PERAMANTER

INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS

SS. TH. B. CONSIL. SAXO-QUERF. ILL. AUG. RECTOR ET P. P.





* * *

Ropheta Elaias ob perspicua Vaticinia de Messia Nativitate ex Virgine, de eius officio, passione & gloria non immerito nomen Evangelistae V. T. accepit, & pra reliquis Vatribus amatus fuit & commendatus. Inter alia praclara hujus Prophetae vaticinia hoc Paschali tempore nobis sese offert illud, quod legitur cap. XXV. 8. ברע המות למצח. Habentur haec verba in Cantico, quod nomine Seniorum El. 24. 23. seu potius Populi Judaici ex Captivitate liberati conceptum a Pro-

pheta sentiunt Interpretes & ex contextu confirmant. Laudant vero in hoc Cantico Deum Israelitae, non modo ob corporalia beneficia & liberationem ex Captivitate Babylonica, sed horum corporalium beneficiorum occasione altius asurgunt, & beneficia per Mesiam definita & stylo Prophetico quasi jam praestita, ejusque Spiritualis captivitatis averfionem & hostium Spiritualium Mundi, Peccati & Mortis abolitionem celebrant & extollunt Fideles, & militantium nomine in Ecclesia ratione possessionis bonorum acqulsitorum inchoativae in regno gratiae, & nomine triumphantium ratione ultimi complementi in regno gloriae. Sic enim Messiae beneficia in Prophetis intuentia sunt, eaque intuentur ipsi Scriptores N. T., prout in tempore parati fidelibus in Ecclesia applicantur, & in futura vita consummantur. Sic gaudium quod fidelibus promittitur in V. T. vocatur *gaudium aeternum sine tristitia & sine gemitu*

El. 35, 10. 51, 11. quia hac vita non finitur gaudium fidei & vitae, sed in aeternitatem progreditur, & in futura vita aeterna consummatur, & plane est sine tristitia & gemitu. Et in hac excellentia etiam Christus dicitur Ephes. 5, 25. *sequ. dilexisset Ecclesiam & seipsum tradidisse pro illa, ut sanctificaret illam & munderet lavacro aquae in Verbo, ita ut sifteret eam sibi splendidam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam aut quicquam talium: sed ut sit sancta & irreprehensibilis.* Hanc perfectionem fideles in regno gratiae & in hac vita non attingunt: sed per gradus tantum sanctitatis inchoativae ducuntur ad plenariam perfectionem, puritatem & sanctitatem vitae alterius in regno gloriae. Defectum non est in acquisitione Christi, neque in mediis gratiae, quae Divinae virtutis sunt & ad omnimodam perfectionem diriguntur, sed in hominum infirmitate: omnis culpa haeret. Hinc Augustinus l. 1. Retract. c. 7. *Cum tota dicat Ecclesia: dimitte nobis debita nostra; non usique hic est sine macula & ruga, aut aliquo ejusmodi: ex eo tamen, quod hic accipit, ad illam gloriam, quae hic non est, perfectionemque perducitur.* Jam facile quis intelliget, quomodo verba nostra Elaiani Cantici, quae vi contextus agunt de beneficiis Messiae in regno gratiae, ab Apostolo trahantur ad regnum gloriae, non certe contra mentem Spiritus Sancti 1. Cor. 15, 54. *conf. Apoc. 7, 17. 21, 4. &c. Tote ymhoras, inquit Apostolus, & dlogos & ymgarumios. κατεργασθαι & θάνατος eis vivos* sc. ratione ultimi complementi, quando corruptibile hoc inducit incorruptibile & mortale hoc inducit immortalitatem &c. His ad scopum pertinentibus Prophetae constitutis, ipsum in allatis verbis sese offert Christi beneficium: *Victoriosa mortis abolitio.* Propheta inquit: ברע המות למצח quod *Vulgatus* reddidit: *Precipitabit mortem in sempiternum. Subjectum*

agens ex antecedenti v. 6. repetendum est, esseque JEHOVAH & terminative *Mesias* quem ipsa praedicata designant. Quod enim LXX. Interpretes h. l. habent: κατεργασθαι & θάνατος ισθως, in mendo jacere videtur & esse corruptum, ut in hac Versione alia multa. Certe *Druhus* Notis in Parall. S. T. 6. Bibl. Critic. p. 133. hoc Nominativo & θάνατος valde offenditur, cum quartum casum τῷ θάνατον requirit sententia. Quid enim, quaerit, devoravit mors prevalens? Non hoc dicit Propheta. Neque est, quod Judaeorum aliquis apud *Varenium* in Com. in El. P. 2. p. 228. τῷ θάνατον Nominativum subiectivum, & Velum seu Operimentum v. 7. *Accusativum obiectivum* constituat, hoc sensu: Mors illa abolebit seu penitus tollit illud

illud velum seu operimentum. Siquidem clare satis *Nominativus & Subiectum agens* יהוה v. 6. 7. & 8. fuit: & Mors prorsus ineptum & inconveniens illi praedicato subiectum facile agnoscebat. Quomodo enim mors tollat operimentum illud, quo teguntur gentes in ignorantia & peccato? Hoc opus Iehovae est & gratia ejus. Unde Christiani Interpretes nixi contextu & autoritate Apostolica *יהוה obiectum* constituunt, & Messiam *subiectum agens* ex versu 6. repetunt, qui nimirum sua Passione & Morte Mortem abolevit. Mors vero, quae h. l. *Obiectum abolitionis* est, & abolenda fuit, intelligitur *spiritualis, corporalis & aeterna*, & quicquid peccati Stipendium est Rom. 6, 23. *Actus abolitionis* exprimitur verbo *בִּלְע* in *Piel*. Cujus significationem, vim & emphasin pluribus Lexicographi & Commentatores passim evolverunt, & in primis qui in Vocum Hebraicarum propria & formali significatione eruenda plurimum occupati fuerunt *Job. Försterus, Samuel Boblius & Jacobus Guffei*. Post hos autem nova quadam methodo usus est *Casp. Neumannus*, cujus ingeniosas commentationes *Paulus Martinus Alberti* in Lexico suo studioso collegit & suis locis inseruit. Ad praesentem radicem *בִּלְע* haec *Neumannus* in ספר p. 174. notavit: Habes hic *בִּלְע* & *לֵע* & *בִּלְע* coalescens, vel *בִּלְע* in asperum *Ajin* efficaciter expiratum. Erit igitur *בִּלְע* de litera ad literam *inadversare*, h. e. motum designabit rei ingredientis adversum vel id quod contra se est. Adhibetur vero in usu loquendi de actu *deglutendi vel absorbendi & ingurgitandi*, &c. Sed haec ut & pleraque ejusmodi alia plus ingenii spirare videntur & laboris, quam firmitatis. Mihi saltem magis aridet vocum vis & emphasis ex usu & inductione locorum Scripturae, in quibus adhibentur, petita, quam quae ex literarum coordinatione mysteriosa acceptatur conjecturis. Ex inductione locorum Scripturae *Christianus Stockius* in Clavi p. 154. colligit generalem significationem *sublationis & medio*, & specialem, eamque propriam *absorbendi & deglutendi*, & metaphoricam *perdendi, abolendi, & destruendi*, & adductis Scripturae locis illustrat. *Tegendi* vero & *abscondendi* significatio, quae quoque communiter additur, adeo certa non est in Num. 4, 20., cum & ibi *diruendi* significationem tueatur *R. Salomo*, & deglutendi notionem retineat *Guffei* in Comment. H.L. p. 154., quae etiam locum invenire potuit in Prov. 19, 28. In textu *Esaiano* igitur vocis *בִּלְע* *abolendi & destruendi* significatum res ipsa & contextus suggerit & postulat. Abolita vero mors est Christi satisfactione in passione & morte Christi, qua obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis, atque peccata totius mundi expiando, peccatum mortis stimulum sustulit, chirographum delevit, Diabolum, qui mortis habuit imperium, devicit & potestate exiit, eosque qui per totam vitam morti obnoxii esse debebant, liberavit, & vitam & immortalitatem reduxit. Atque ita Messias Redemptor Generis humani Jesus Christus absorbuisse & aboluisse mortem intelligitur. Prophetice hoc cecinit Ecclesia Judaica verbis *Esaiae* *בִּלְע* הַמָּוֶת לְעַד. Tempore adimpleto id praestitit Messias, & in eo exultat Ecclesia Christiana. Ultimum effectum sentient beati omnes, quando corruptibile hoc induet incorruptibilitatem & mortale hoc immortalitatem. *Tôte* *ἀφίενται*, inquit Apostolus, *ὁ λόγος παραμυθίων κατὰ τὸν ὄραντον αἰῶνα*. Et *Verbum actuum* *בִּלְע* convertit per *Passivum κατὰ τὸν ὄραντον*, sensu hauri variato, nec more Veteribus Hebraeorum Doctoribus insolenti. V. *Surenhusius* in ספר המשנה th. 22. p. 84. & in Concil. p. 552. Potissima tamen huius mutationis causa illa esse creditur, quod V. T. Prophetia futuram representaverit mortis abolitionem, & laudaverit Messiam verbo *Activo* & praeterito Prophetico; quod etiam Interpretes multi per futurum expresserunt; *Aquila* per *κατὰ τὸν ὄραντον* & *Symmachus* per *κατὰ τὸν ὄραντον*. Hodieque *Judaei* in Bibliis Germanicis *R. Jekusielis Blizii* legunt: *Er wird den Tod verderben ewiglich*. Et *Lutherus* etiam: *er wird den Tod verjählichen ewiglich*. Apostolus autem rem intuitus sit factam & in ultimo complemento in Resurrectione mortuorum. Accedit & hoc e loquendi modis Hebraeorum, quod ipsa verba *אָבִוּדָה* saepe pro *Impersonalibus* & pro *Passivis* adhibentur &

per

per illa exponantur. Sic illud Gen. 15, 6. וְיִצְחָק יִשְׂרָאֵל וְיִשְׂרָאֵל יִצְחָק hoc modo adducitur Rom. 4, 3. *Πιστες δε Αβραμ τω Θεω κει ελεγεισθη αυτω εις δικαιοσυνην. & imputatum ei est in justitiam.* Unde R. Abarbanel Com. in Ef. ipsum nostrum locum & Verbum יִצְחָק per passivum, ut in futuro, exponit כִּרְלֵעַ יִצְחָק *absorbebitur, remodabitur.* Id ergo h. l. quoque Apostolo licuit, ut passive exprimeret & referret Prophetiam impletam per *κατηύθη*, & certus in fide ad ultimum complementum respiceret: *πν, inquam, πιστευουσιν tunc fiet*, quod fidei verbum est, *πν πιστευσαις ο λαος γεγραμμενος: κατηύθη ο Γαβριελ εις νικος.* Certo futurum hoc est: כִּי יִצְחָק דָּבָר *quia Jehovab locutus est.* Ef. 25, 8. Non tamen, existimandum est, Apostolum voluisse, fideles nullum antea sensisse effectum hujus abolitionis Moris. Senferunt certe & adhuc sentiunt, absorptam esse mortem, in vita fidei spirituali: sentiunt absorptam esse mortem in morte corporali, quæ ipsis facta est transitus ad vitam: sentiunt absorptam esse mortem in vita æterna cujus jam habent prægustum. Sed hoc vult Apostolus, quod in Resurrectione mortuorum & in glorificatione, quando corruptibile hoc induerit incorruptibile, & mortale hoc immortalitatem, sensu sublimiori sensuri simus *abolitam esse mortem*, in consummata abolitionis perfectione. Et ipsa consummata *actus abolitionis* perfectio apud Prophetam designatur voce לִבְנָה, quam vertit Apostolus: *eis, νικος.* Hebræum לִבְנָה constanti usu *continuatæ durationis & perpetuitatis* notionem tuetur & sive limitatæ sive absolutæ æternitatis: nec non metonymice *roboris & firmitatis*, quæ durationem causantur. Victoriz vero significatus apud Chaldeos magis frequens est, quem tamen in hac vertenda voce Hebræa LXX. Interpretes sectati sunt plurimum, eodemque pertinet, quod habent h. l. *יִצְחָק, prævalens, vincens, & eis νικος in victoriam* apud Apostolum, quod etiam in fragmentis Veterum Interpretum Theodotionis & Aquile legitur & apud LXX. Int. aliis in locis, in quibus illud לִבְנָה jam per *eis νικος* jam per *eis νικος* vertunt. Quam significationem voci לִבְנָה h. l. melius convenire arbitratur etiam Clericus in Ann. ad 1. Cor. 15, p. 171. ut & Surenhusius l. c. p. 552. quia h. l. in Propheta multus de bellis & præliis sermo præcessit. Parum autem refert, sive illud לִבְנָה h. l. vertamus *in æternum*, sive *eis νικος in victoriam*, sive etiam atque etiam *eis νικος* i. e. usque ad consummationem plene & perfectæ. Eodem enim recidunt, necincommodè duo ista *perpetuitatis & victoria* significata jungi possunt, quia qui vincit, posterior stat, durat & permanet: & quo victoria Christi super mortem est consummator & perfectior, eo etiam abolitio mortis agnoscitur durabilior atque æterna. Absorpta mors est in victoriam consummatisimam & æternam. Et hanc *victoriosam mortis abolitionem* gratissimam mente CHRISTO referimus acceptam, qui sua ex mortuis resurrectione eandem confirmavit, nobisque discretis verbis adseruit: *εγω ζωω, οτιν αν ζησετε. Vivo ego & vos vivetis* Joh. 14, 19. *Ac viventem Christum in Virga Aarons viventem* adumbratum in oratione sua facunda & solenni ostendere constituit *Juvenis Nobilissimus ac Politissimus Dn. JOH. CHRISTIANUS GLAUCHIUS Philof. Studiosus indefessus & Parentis sui VIRI Plurimum Reverendi Dn. M. JOH. ANDR. GLAUCHII Arabi-Diaconi Vigilantissimi & de Ecclesia hac Weissenfels. quondam optime Meriti desidia laudatissime legens, nobisque ob pietatem morumque probitatem & industriam perquam charus.* Cui doctissime peroratur, ut *Illustres Illustri Angustei Scatores, Studiorumque Promotores, Utriusque Reip. Proceres, Fautores & Civos nostri, vacivas præbent aures, & hoc ipso Deo pietatem, Patri Patriæ obsequium, & nobis benevolentiz affectum restentur, observantissime humanissimeq; oro atque rogo.* P. P. d. 25. Martii A. O. R. MDCCXXIII.

LEUCOPETRÆ, Literis G. A. Legii, Aul. & Aug. Typogr.

Nr 885.
40

ULB Halle
001 556 347



3

So.

Witt

2. C.





כלע המות יאמח

I. E.

SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI
 VICTORIOSAM
 MORTIS ABOLITIONEM
 ESAIÆ XXV, 8. ET I. COR. XV, 54.
 DESCRIPTAM
 EXPENDENS

FESTUM PASCHATOS

PIE SANCTEQUE CELEBRANDUM

INDICIT

ET AD

ORATIONEM SACRAM

IN TEMPLO

ILLUSTRIS AUGUSTEI

*IPSA PRIMA SOLENNISSIMA FESTI FERIA
 POST HORAM XII.*

AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINI-
 STROS UTRIVSQUE REIPUBL. PROCERES ET LITERA-
 RUM CULTORES ET FAUTORES ET CIVES
 ILL. AUGUSTEI

PRÆSTANTISSIMOS

OBSERVANTER ET PERAMANTER

INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS

SS. TH. B. CONSIL. SAXO-QUERF. ILL. AUG. RECTOR ET P. P.

